

Ecclesiæ natura de sacra in profanam fuisse immutata; namque pluribus, iisque conformibus allatis testimoniis ostendebat, ab ipso gallico regimine clausam quidem remansisse Ecclesiam, sed minime in usum profanum adhibitam et accommodatam, exceptis postremis hisce temporibus idque opera Procuratoris Negotiorum E. Dni.

At contra hic inter alia propugnabat una cum Monasterio Ecclesiam quoque Principi Beauharnais fuisse adjudicatam, ideoque in ejus Cessionarium devenisse. Axioma siquidem est ubique tristissimum, quod principale sequi debeat accessorium; at vero Ecclesia cum Monasterii ædificio comparata pars est certe magis exigua, neque enim hic ratio habenda erat usui, cui erat antea declinata, sed tantum materiali contractioni. Id autem eo magis persuasum esse debet, quod a tempore alienationis Ecclesiæ nunquam publicæ venerationi aperta fuerit quia ullus unquam reclamaret. Quinimo aliquos testes producebat, quibus probare nitebatur eandem Ecclesiam in utilitatem domini Monasterii semper usibus profanis inservisse, postquam monasterium fuerat alienatum. Quibus positis concludebat a casu nostro exulare omnia illa principia, quæ rebus actu sacris dumtaxat possunt accommodari.

Itaque causa proposita in plenario conventu diei 25 Sept. 1840. E. Patres rescripserunt:

Ad 1 partem affirmative quoad Ecclesiam; in reliquis provisum per declarationem expressam.

Ad 2. Negative.

Romana Alienationis Ecclesiæ. Titius anno 1812. cum gallici usurpatoris imperio bona ecclesiastica distraberentur, in publica licitatione sibi comparavit — *la Casa conventuale di S. Maria in Trastevere, composta di piani terreni, giardino, due piani superiori.* — Cum vero huic religiosæ domui parva Ecclesia esset adnexa, emptor in venditione eam comprehensam fuisse, ideoque sibi cedere debuisse arbitratus est. Hinc non omisit in eadem ea omnia suo ære peragere, quæ ad publicum cultum et Ecclesiæ mantentionem pertinerent. Postea vero domum eandem alienavit; sed ecclesiam sibi reservavit. Morti proximus hanc ipsam una cum quibusdam sacris suppellectilibus Cajæ legavit conjunctim cum Ecclesia S. Mariæ in Æquiro, onere adjecto erogandi scut. 100. in suum funus, aliaque animæ suæ suffragia.

Cum vero dubitaretur num emptio valida fuisse propterea quod agebatur de re sacra, qua versatum extra commercium, dubium S. C. Ep. et Reg. propositum est: «Se la detta Chiesa spetti a' Legatarj, o piuttosto rimanga a disposizione dell'E. Vicario?» Proposita causa die 13 Martii 1840. S. C. rescripsit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et ad mentem; mens est, che l'Em. Vicario procuri per titolo di equità, che si dia un compenso per restauri fatti nella Chiesa di S. Margherita da erogarsene il valore in compenso delle spese del mortorio.*

Una eademque Ecclesia potest esse secularis quoad parochiam ibidem adnexam; regularis autem quoad naturam ipsius ecclesiæ. Tunc autem jurisdictio episcopi moderanda est in sacra visitatione juxta Const. Ben. XIV. *firmandis*; ut patet ex sequentibus.

Ecclesia S. Rosaliæ in oppido Cimella Nicensis diocesis, sæviente gallica irruptione, distracta fuit; ex quo factum est, ut vetus parochia ibidem erecta loco, ubi consisteret, destituta remanserit. Sed cum eodem tempore Minores Reformati per gallicum occupatorem e suo cœnobio abscedere coacti fuissent, Ordinarius, in cujus potestate totum ædificium relictum fuerat, converso in seminarii usum Cœnobio ipso, ad Ecclesiam eidem adnexam S. Rosaliæ parochiam transferendam censuit, et curam animarum presbyteris secularibus continuo demandavit.

Pace ubique restituta, memorati Regulares in pristinae suæ domus possessionem iterum immissi sunt, nulla tamen facta mentione parochiæ ibidem translatae, quæ a presbyteris secularibus administrari non desit. Quamquam Ordinarius, ut aliquam rationem Regularium duceret, non vero quod obligatione teneri putaret aliquem ex ipsis Regularibus in parochum semper postea nominare consueverit. Quinimo in sacra obeunda visitatione suam ibidem jurisdictionem exercuit perlustrans Ecclesiæ parochialis Tabernaculum, pixides, Calices, fontem baptismalem, oleum sanctum, altare majus et quatuor aras ad latera surgentes, pulpitum, sacrarium, turrin campanariam, paramenta et opportuna; super omnibus hisce rebus nullo obnitente, edicta protulit.

Usque tum res pacifice inter Episcopum et Regulares processerant; cum tamen anno 1838 Pater Provincialis cum suo definitorio Religiosum animarum cura præditum, ex officio removeri jussisset, et Episcopus id exequi æquum non judicaret; Regulares illi ad S. C. Episcoporum et Regularium reclamaverunt; conquerentes insuper de excessu jurisdictionis episcopalis in sacra visitatione complenda contra præscriptum Conc. Trid. et Const. Ben. XIV. *Firmandis*. Interpellatus Episcopus rescripsit, sese parochi remotiorem justis de causis opportuniore tantum tempore remittere voluisse, et de objecto jurisdictionis excessu cumulative cum Ordinis Provinciali visitationis super Ecclesia jure potiri, exclusive autem super Parochia et rebus ad eandem pertinentibus. Procurator fiscalis ibidem de suo voto interpellatus inquit Cimellæ parochiam nullatenus uti Regularem haberi posse, cum neque ex fundatione, neque ex privilegio, aliove titulo uti talis ostenderetur. Reint. Jus. Can. tit. 3. Tit. 5. n. 2. Hisce addebat ab Episcopo parochum libere semper nominatum fuisse, eaque semper provisum fuisse, quæ ad rectum parochiæ regimen conducerent.

E contra moderatores Regularium contendebant Ecclesiam Cimellæ tam ex fundatione, quam ex possessione (si tempus gal-

licæ occupationis excipias) regularem declarandam esse. Quod vero parochiam spectat, si effectum, nempe sacramenta atque sacramentalia consideres, uti sæcularem reputari oportere; si autem locum, ubi nempe res omnes ad statum parochialem pertinentes locatæ sunt, attendere velis, inter ecclesias regulares accensendam esse, ideoque Episcopo nulla alia jura competere præter ea quæ Benedictus XIV. in Const. *Firmandis* declaravit.

Hæc a partibus in jurium suorum defensionem producebantur. Ex quibus omnibus plures emergebant animadversiones. 1. Nempe quod Cimellæ Ecclesia origine erat regularis, et de facto dumtaxat gallica occupatione dominante, uti talis esse desivit. 2. Quod parochia origine erat secularis; neque constat aliquam a S. Sede dispositionem extitisse ex qua in regularem conversa fuerit. 3. Quod proinde qualitas Ecclesiæ separatim consideranda sit a parochialitate, eoque magis quod non desint exempla parochiæ secularis in Regularium Ecclesiis erectæ, ut evenit Romæ in Ecclesia S. Hadriani. 4. Quod posita seculari parochiæ natura, contra sacros Canones videri fecisse Episcopum, cum Regularem eidem præfecit Ben. XIV. Const. *Inscrutabili* § 16, 5. Quod si Ecclesia Cimellæ Regularis declaretur non potuisse episcopum visitare sacras Reliquias publicæ venerationi expositas, S. C. Conc. Urbinaten. 10 Martii 1663.

Hisce ad opportunitatem consideratis, dubia E. Patribus proposita referre præstat, quæ sunt hujusmodi:

1. «Se e come convenga approvare la concordia proposta da Monsignor Vescovo?»

Et quatenus negative.

2. «Se debba tenersi per regolare la Chiesa e la parrocchia di Cimella?»

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

3. «Se e come possa essere soggetta la Chiesa alla visita del Vescovo?»

4. «Se e come abbia a permettersi, che la cura delle anime sia esercitata da quei Religiosi?»

Quibus E. Patres in generali conventu diei 8 Aprilis 1839, rescribendum censuerunt.

Ad Primum *negative*. Ad secundum *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. Ad tertium *Affirmative juxta Const. Benedicti XIV. Firmandis*. Ad quartum *Affirmative facto verbo cum SSmo etiam pro absolute et sanatione, saltem ad cautelam quod præteritum: servata forma Const. Firmandis, et favore Episcopi salvo jure transferendi in aliam Ecclesiam sibi bene visam enunciata Parochiam, quæ in statu seculari manere debet, licet a Regularibus ad tempus administretur.*

Nota. Primum dubium refertur ad quamdam concordiam ab Episcopo propositam, in qua præsertim statuebatur usus communis sacrarii et suppellectilium, necnon pactum horarii peragendi pro functionibus parochialibus. Quam tamen fuse explicandam non

censui, quia ab E. PP. aprobata non fuit.

Dominus fundi a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium cogitur ad eum justo pretio vendendum, postquam rite constitutum est eum vere necessarium esse ad ecclesiæ parochialis constructionem; ut patet ex sequentibus 14 Maii 1841.

In oppido S. Benedicti Ripanæ Diocesis nova parochia cum opportunis facultatibus instituta fuit, ac locata in quadam exigua Ecclesia de Municipii jure patronatus. Quæ quidem cum progressu temporis parochianorum copiam recipiendam nimis angusta, et propter loci situm parum salubris perspecta fuisset, cogitatum est de cura animarum ad alium locum magis opportunum transferenda. Ad hanc rem pecunia in promptu erat; nam Patres ab Oratorio nuncupati, in quos animarum cura transierat, summam scut. annuorum 150 remittere, municipes vero summam scut. 2000, contribuere sese obligatione obstrinxerunt.

Licet vero de loco primum Religiosi et Municipipes dissentirent; postea tamen ambo in unum convenerunt, nempe ut novum ædificium in quodam fundo emphyteutico construeretur, cujus directum dominium ad quemdam Petrellium, utile vere ad Fratres Castelli pertinebat, in quibus quarta et ultima generatio finem erat habitura. Sed Dominus directus interpellatus ingentissimum primo pretium postulavit; postea vero fundum alienare abnuvit; tandem clanculo eundem cuidam Papettio divendit.

Cum ita se res haberet, Magistratus et Religiosi supplices apud Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium institerunt, ut Papettius justo præfinito pretio, ad prædium nuper emptum alienandum cogeretur. E contra vero Papettius suam recusationem tueri nixus est tribus præsertim de causis: 1. Quod hoc prædium, cum in extrema parochiæ parte dissitum sit, populi concursui ad sacra officia incommodum evaderet. 2. Quod non desint in medio oppido loca, ubi majori ornato, et paulo graviore sumptu Ecclesiæ ædificium perfici queat. 3. Quod ad majorem parcimoniam opus suscipi posset eo, quo nunc invenitur, loco; ita enim et locus emendus non esset, et rudera Ecclesiæ veteris atque alterius domunculæ destruendarum operis constructioni inservirent.

Hisce a Sacra Congregatione perspectis Ordinario mandavit, ut rem amice componendam curaret; aliter a viro perito æstimationem fundi fieri juberet. Ordinarius, cum irritæ cessissent amicæ tractationes, fidem remisit Sacræ Congregationi, qua declarabat fundi pretium ad scut. 207 ascendere. Sed hæc Sacræ Congregationi non fuerunt satis: nam Ordinario præscripsit, ut unum vel duos viros peritos adhiberet, qui ad faciem loci accedentes de vera Ecclesiæ ibidem construendæ necessitate referrent.

Hi itaque mandatis hujusmodi obsecuti necessitatem memoratam asseruerunt, eorumque testimonio accesserunt et Ordinarius, et loci Magistratus, necnon Delegatus

Apostolicus, et consilium nuncupatum Congregationis Governativa, cujus munus est Municipiorum consiliares actus excutere, suaque approbatione sancire.

Hæc in facto adnotabantur. In jure autem subjungebatur quod « quamvis nemo cogatur invitus vendere rem suam, » *L. Invitum. 11. Cod. de Con. Emi.*, tamen materia coactionis ad vendendum est arbitraria iudicis. *Rota Dec. 585. § 11. Rec. Cæteroquin, ut docet Reiffenst. tit. 17. de Empt. § 2. n. 35.* communis est doctorum opinio, quod si qua domus aut prædium ecclesiæ ampliandæ necessarium sit, ejusdem dominus ad illud justo pretio vendendum compelli possit *L. 3 et 9. 13. C. de Op. publ.* Cum enim Ecclesia cultui publico destinata sit, ad bonum publicum interesse censetur ejus ædificatio.

Id etiam non solum ad Ecclesias jam erectas accomodatur, sed etiam extenditur ad Ecclesias de integro construendas. *Covarr. L. 3. Res. Var. C. 14. n. 3.*

Consonat Reiff. loc. cit. n. 34, 35. qui n. 36. principia statuit, quibus coacta venditio moderanda sit, nempe, quod quamvis communis sit opinio dominum ad venditionem cogi posse, quando absoluta adest necessitas; nihilominus, si una tantum adsit utilitas, possit quidem dominus a iudice ad venditionem cogi, quando nullum aut modicum in illum redundat incommodum. Aliter vero, si nempe grave ac notabile detrimentum domino sit subeundum, tunc non iudicibus,

#### S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Nominatio Capellanæ seu officiatuæ manualis exemptæ ab Ordinarii potestate, et fundatæ a Dominico Ciuchi in favorem Clerici Aloysii Breccialdi ad ejus vitam expleta fuit. Verum animadvertens tum patronus, tum Clericus nominatus vetitam esse a fundatore perpetuationem, convenerunt, quod nominatio nulla foret, quando alter ex illis patroni ad legitimam ætatem pervenisset, vel ætatis dispensationem impetrasset; hæc de re patronus præfatum Clericum removit, proprium filium annorum duorum et quinque mensium nominavit. Porrecta proinde supplicatione pro dispensatione assequenda obtulit Clericus Breccialdius; At S. C. dispensationem indulsit, expletis oneribus: *Urbevetana 11. Decem. 1784.*

(2. Suspensionem nominationis ad Capellanas institutas a Magdalena et Joanne Baptista Carlini persistendo in secundo loco decisit confirmavit S. Congregat. *In Montis Alti Capellaniarum 7 Maii 1808.*

(3. Suspensionem nominationis vacantis Canonicatus concessit ad quadriennium S. Congregatio annuente patrono favore Capituli S. Barnabæ Mareni, ut ex fructibus restaurari possent domus, et meliorari fundi rustici ad mensam capitularem pertinentes. *In Albanen. Suspensionis Nominationis 18. Junii 1808.*

(4. Suspensionem nominationis pro vacanti, et proxime vacatura Præbenda in Colle-

sed soli supremo principi facultas domini compellendi relicta sit. Addebatur insuper sacram Congregationem procedere ad instar principis, ut docet De Luca in *Relat. Rons. Cur.*

Utraque pars in contradictione audita hæc juris principia pacifice amplectebatur. Sed in facto una hanc necessitatem et utilitatem excludebat, altera vero mordicus propugnabat.

Ut autem omnis controversia dirimeretur, duæ dubiorum formulæ concinnatæ sunt, nempe:

1. « Se e come debbasi decretare l'alienazione forzosa del fondo nel caso? »

Et quatenus affirmative

2. « Se e qual prezzo debba pagarsi dagli Acquirenti del fondo nel caso? »

Em. Patres in generali conventu diei 14 Maii 1841. in Ripana Venditionis coactæ rescripserunt.

Ad 1. *Affirmative, et esse locum cessione fundi favore ecclesiæ erigendæ*

Ad 2. *Ad formam concordia, et scribatur E. Protectori ad mentem; mens est, che nel caso possibile si venisse a quistione col Giostra per altra simile cessione, la comune ed i PP. dell' Oratorio si servano de' loro dritti a forma della Risoluzione al primo dubbio.*

Nota quænam fuerit concordia, et quæstio cum Giostra, de qua loquitur secundum dubium, non apparet ex folio typis edito quod sub oculos habui.

#### ELECTIO.

giata oppidi S. Martini, quam Patronus postulavit, ut fructus erogarentur in augmentum aliarum præbendarum, quæ diminutæ erant ex cessata parte solutionum fructuum Locorum Montium, concessit S. Congregatio ad decennium, nisi prius revivixerint fructus Locorum Montium. *In Nullius S. Martini Suspensionis Nominationis 17 Sept. 1808.*

(5. Nec non procedendum esse Episcopo ad Collationem Præbendæ Theologalis servatis omnibus servandis in hujusmodi collationibus. *Ibid. ad 4 dub.*

(6. Capitulum Casalense denegavit Sac. Congregatio, ut per optionem pro hac vice acquireretur a Canonicis Dignitas Primicerii, cuius collatio ad Sanctam Sedem pertinet, cum nulla pro hac concessione adesset rationalis causa; et ne a novitate inciperetur iudicium dum idem Capitulum postulabat, ut Leges Capitulares ab Episcopo Villaret subversæ, ut Laicæ tunc potestati dominantis morem gereret, reintegrarentur, in Casalen. 29 Novembris 1814. ad 11 dub.

(7. Ac proinde ab Apostolica Sede esse conferendam. *Ibid. ad 12 dub.*

(8. Servandam esse decrevit Sacra Congregatio Collationem Canonicatus ab eodem Episcopo Villaret factam Francisco Salina Viro ornatissimo, et a Vicario Capitulari summopere laudato, prævia tamen sanatione, factoque verbo cum SSmo ob ea multa quæ ipsi Capitulum objiciebantur, præsertim retentionis incompatibilium aliorum beneficiorum, quæ tamen pacatis vix rebus, et remoto

periculo ne a Laica potestate usurparentur in casu dimissionis, sponte resignavit in Casalen. 29 Novembris 1814. ad 1 Dub.

(9. Competere vero dixit prout, et quatenus de jure eidem Reatinæ Ecclesiæ jus repetendi earundem rerum comparatarum redditibus ejusdem Ecclesiæ ab hæreditate Episcopi Fioravanti *ibid. ad 2 Dub.*

(10. Priusquam ob tenuitatem præbendarum, et inservientium paucitatem suspensionem concederet collationis vacantium præbendarum collegiatæ Ecclesiæ oppidi Vallerani, ut satisfactis oneribus superextantes redditus in omnium augmentum investirentur, audiendam esse censuit S. Congreg. R. Cameram Apostolicam ejusdem Collegiatam. *In Civitatis Castellæ Reductionis, et Dispensationis die 18 Decemb. 1818, ad 2 Dub.*

(11. Non sustineri definivit Sac. Congreg. nominationem ad secundam Capellaniam Bianchi factam cum antidata a patrono Andrea Galluzzi favore Clerici Joannis Lauri pauperis postquam suum præbuerat assensum, ut Cappellania suspenderetur a SSmo favore pueri Joannis Dominici Tomei, qui ad illam vocabatur a fundatore deficiente linea Galluzzi. *In Verulana Capellaniam die 12 Junii 1822. ad 2 Dub.*

(12. Ac proinde cum sustineretur indultum jam concessum a Sacra Congregatione pro suspensione collationis præfatæ Capellaniam, et erogatione reddituum favore pueri Tomei, jam provisum esse respondit, postulatis utrum scilicet locus esset novæ nominationi, et quibus, et quomodo competeret jus nominandi, et cui esset data institutio. *Ibid. ad 3 Dub.*

(13. Constare de legitima nominatione facta favore Sacerdotis Gervasii Trojani dixit Sac. Congreg. quia major Patronorum pars eum nominaverit ad Capellaniam S. Mariæ Novellæ Terræ Montis Elpari Diocesis Montis Alti ab Agnete Tassi fundatam. *In Montis Alti Capellaniam die 12 Julii 1822.*

(14. Nec non constare de legitima nominatione favore Sacerdotis Simonis Revelli ad capellaniam S. Joannis Evangelistæ a majori parte patronorum ejusdem familiæ facta intra quadrimestre, dissentiente licet minori parte, iterum definivit Sac. Congreg., dum in decisit quoad primum dubium sub die 19 Septembris elapsi anni standum esse respondit *In Albinganen. Capellaniam die 18 Septemb. 1822. ad 1 Dub.*

(15. Hinc cum etiam legitima adfuisset ejusdem Sacerdotis Revelli præsentatio, non esse amplius locum novæ nominationi confirmavit. *ibid. ad 2 Dubium.*

(16. Constare de legitima nominatione favore Comitum Jacobi Piccolomini Primicerii Metropolitanæ Ecclesiæ Senensis peracta a Sac. Rota ad relictum prælatitium Amadori propter caducitatem incursum ob initum conjugium absque SSmi dispensatione a Francisco Landucci, qui a Sacerdotio tantum suscipiendo fuerat dispensatus, definivit Sacra Congregatio *In Romana die 13 Feb. 1835, ad 2 Dub.*

(17. Ac proinde fructus relicti prælatitii debentur Primicerio Piccolomini a die nominationis, *ibid. ad 3 Dubium.*

(18. Precibus Mariæ Annæ Mascardiæ Jessiæ, quibus postulabat disferri nominationem præbendæ Canonialis in Ecclesia Cathedrali Sarzanensi per Canonicum Bartholomæum Mascardium fundatæ, ut impletis religiosissime omnibus oneribus, reliqui redditus ad levandam ingentem, qua ipsa laborat inopia conferantur quoad usque aliquis ex linea prædicta idoneus exsurgeret, qui eadem potiri ad mentem Testatoris valeat, Emi Patres rescripserunt dilata ad primum post agnos In Lunen. Sarzanen. Suspensionis Nominationis die 30 Martii 1838, ad 1 et 2 Dub.

(19. Judici Pro synodali Joanni Baptistæ Jandolo tanquam Delegato Apostolico in Causa sibi commissa a SSmo non competere jus eligendi, et adhibendi Notarium laicum posthabito Cancellario Curiae Archiepiscopalis censuit Sac. Congregatio cum tale jus nec ex consuetudine, nec ex jure Canonico, nec ex delegationis Breve probaretur. *In Januen. juris eligendi et adhibendi Notarium die 31 Junii 1838.*

(20. Quod post expletam nominationem Presbyteri Falzaresi ad Mansionariam Corradini in Collegiata Sabiniani erectam, ad nutum amovibilem, Canonici Patroni Alexandri Zampanelli pauperi hæredi, cui onus pensionem Mansionario persolvendi inerat, scutata quinque ad quinquennium remiserunt adeo ut ille ab antiqua erga validitatem nominationis querela cessaverit, orto dubio Capitulo, an simoniæ labe intercesserit, plures post annos questionem super nominationis validitate S. Ordini admovent, vel saltem sanationem, et absolutionem postularunt, obtinueruntque hanc postremam ad cautelam. *Ariminen. Mansionariam super nominatione die 15 Septembris 1838, ad 1 et 2 dubium.*

(21. Iterumque in examen adducta hujusmodi postulatione, cum petitam nominationis suspensionem prorsus adversari juris regulis et sententiæ Patroni activi, nec non utilitatem, voluntatemque Compatroni passivi, Fundatoris jus, bonum Sarzanensis Ecclesiæ, jus denique quæsitum tertii exinde lædi animadverteret Sacra Congregatio, locum non esse responsioni nominationis respondit *In eadem die 23 Nov. 1838, ad 1 Dub.*

(22. Cumque Fundator Præbendæ hujus Canonialis supra numerum jus nominandi Rectorem Capitulo et Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Sarzanensis addixerit, ea tamen lege, ut extraneos tunc solum præsentare possent cum descendentes idonei ex prædicto stipite defecissent; ob impetratam re adhuc integra per Carolum Chiocoa ex Rosa Mascardiæ descendente, tum ætatis Sacerdotii defectus ab Apostolica Sede sanationem, Emi Patres rescripserunt, propositio dubio an et quem ex Linea Francisci Mariæ Mascardi tenerentur Electores ad Canonicatum nomina-